

gg. dissertation
sept. 1919.

13

DISSERTATIO ACADEMICA
DE
EMENDATIONE MORALI.

QUAM,

CONS. AMPLISS. FACULT. PHILOS. ABOËNS.

SUB PRÆSIDIO

Mag. *ANDR. JOH. LAGI,*

Philos. Pract. Professoris P. & O.

PRO GRADU PHILOSOPHICO

PUBLICÆ EXHIBET

FREDRICUS GRÖNHOLM,

V. D. Min. Satacundensis.

In Auditorio Philosophico die VII Octob, MDCCCXV,

Horis a, m. confvetis.

ABOË, TYPIS FRENCKELLIANIS.

DISERTISSIMO ACADÉMICO
DE
REMISSIONE MORALI

Sanabilibus agrotamus malis: nosque in rectum genitos
natura, si sanari velimus, adjuvat.

SENECA,



Historia vetustior est querela, mundum in malo
versari, nec nostrum aliquis est mortalium,
qui de semet diffiteri valeat, voluntatem quidem sibi
esse, at deesse effectiorem, vel ullus, qui, serio se-
cum reputans & sincere, hypocrisicos plenam & o-
stentationis de semet prædicare valeat Pharisei for-
mulam: Tibi gratias ago, Domine, quod non sim,
quales ceteri homines.

Quæ cum ita sint, & quum nemini nostrum
non præsens sit semper imperium Rationis: ut alius
indies fiat meliorque homo; exoritur sponte quæ-
stio, maximi sane illa momenti, an & quo pacto
hoc fieri possit? Quam pro modulo virium tenui
solvere nobis in animum induximus: mitiorem co-
natuum a Lectore h. nobismet expetentes censuram.

A

Jam

Jam quidem per se patet, quod, quia, siue bonus siue malus sit homo, pro effectu liberi ejus arbitrii habendum est, ni omnis pereat imputatio moralis; quodcunque sensu morali sit, suo ipsius merito vel culpa esse hominem. Namque illam libertas arbitrii naturam habet prorsus peculiarem, ut nullo possit ad actionem quandam determinari elatere, nisi quatenus in normam suam homo eandem receperit. Neque aliter elater, quicumque demum sit, cum spontaneitate arbitrii absoluta potest consistere. Est vero lex moralis coram tribunali Rationis elater per se sufficiens, & qui ea pro norma utatur, moraliter bonus. Cum itaque lex arbitrium cujuspiam, respectu actionis, quæ illam spectet, nihilominus haud determinat, necesse est, ut elater Legi contrario obsecutus, a Lege declinaverit homo, moraliter malus. Quorum vero neutrum fieri potest, nisi per spontaneam mentis actionem. Absit ergo ut culpam naturæ dicamus, quod mali simus, vel laudem, si boni videamur; quippe quum in nulla re arbitrium determinante, in nullo appetitu naturæ, sed solum in regula, quam arbitrium sibi ipsi in usum libertatis suæ normam præscribit, potest mali causa inesse. Originario neque bonus est, neque malus homo, sed initia tantum boni malique pectore gerit, fructuum, quos gignant hæc stamina, ipse auctor solus.

Quum

Quum ergo hominem natura bonum loquimur, vel natura malum, non aliud salva libertate intelligere possumus, quam inesse homini causam subjectivam utendæ libertatis sub legibus moralibus objectivis, quæ causa, ubicumque demum lateat, omnem, quæ sub sensu cadat, actionem antecedit. Quæ vero causa subjectiva ipsa actus libertatis sit, ratioque prima normarum, quæ cum Lege vel consentiant vel repugnent, h. e. bonarum vel malarum, constituendarum, in libero arbitrio (neque adeo in facto ullo, quod dari per experientiam possit) sita sit, necesse est, si de bono morali, malove, in homine sermo esse possit. Hominem itaque bonum dicere solemus, vel malum, non idcirco, quod actiones patrat, quæ cum Lege congruant, vel eidem sint contrariæ; verum propterea, quod phænomena hæc, sensibus obvia, ita sint comparata, ut ex iis ad bonas malasve in agente normas concludi possit.

Quo autem fieri possit modo, ut bonum vel malum semet reddat homo: qui, ut, licet boni stamina nobis quasi insita sint, ab ipso declinationem nobismet normam constituamus, & qui, corrupta semel regula subjectiva, eandem deserere atque meliorem adoptare valeamus: verbo: qui a bono in malum labi & ab hoc ad saniora nos evehere possimus — hæc omnem intelligendi facultatem nostram longe superant. Reapse fieri hæc, nos evincit conscientia: per libertatem solam fieri posse, ratio ex-

A 2

tra

tra dubium ponit. Quumque adoptatio normarum moralium libera sit, atque præter normam ratio determinandi arbitrii liberi nec debeat afferri, nec possit; patet, causam, cur normam bonam malamve sumseris, non in ullo elatere externo ponendam esse; sed in norma quadam, quæ suam rursus causam habeat, necesse est, similem, & sic in infinitum. Unde constat, ad causam rationum determinandi subjectivarum primam pertingere nosmet nunquam posse.

Libertas itaque causæ agentis, præsertim in mundo sensibili, nullo modo potest quoad possibilitatem perspicui: præclareque nobiscum actum videtur, si modo satis certos nosmet reddere queamus, nullum argumentum impossibilitatis illius locum habere. Quanto melius, quod cum ex conceptu libertatis in phænomenis nihil queat explicari, sed in his indagandis semper duci debeamus mechanismo naturali, prætereaque Antinomia rationis puræ, cum ad absolutum cupit in serie causarum ascendere, in uno pariter atque in altero, incomprehensibilibus implicetur, aliquid sit, cujus tamen ope quæstionem, contemplationi inenodabilem, solvere valeamus: Lex scilicet moralis, cujus nobis proxime conscii sumus, simulatque leges voluntatis subjectivas proponimus, nobis primum se offerens: dumque ratio illam, ut rationem determinantem, nulla conditione sensitiva

super-

superandam, quin eadem prorsus liberam proponit, directa ad conceptum libertatis ducens via. Hæc haud disita est, arduoque labore quærenda, sancta Lex, sed cum natura humana intimo conjuncta nexu, & vel simplicissimo præsens, ubicumque de actionibus, quæ a voluntate pendeant, judicaverit. Nihil complectitur jucundi, quod demulceat, sed submissionem postulat; neque tamen minis, quæ terreant, in voluntate commovenda utitur, verum, in mentem aditum ipsa sibi aperiens, vel invito instillat, et si haud semper obsequium, sed tamen sui reverentiam, h. e. conscientiam submissionis liberæ voluntatis sub Legem, cum coactione tamen necessaria, quæ cunctis propensionibus fit, sed per propriam rationem, conjuncta. Omnem quidem arrogantiam penitus prosternit divina lex, defectumque convenientiæ vitæ nostræ respectu illius ob oculos ponens, nos, quid simus, quid esse debeamus, reputantes, deprimat; at vero simul supra semet ipsum, qua partem mundi sensibilis, hominem extollit atque evehit; eundem cum eo rerum ordine copulans, quem solum cogitare intelligentia potest, cuique universis mundus sensibilis, cumque eo existentia hominis empirica totumque finium omnium subjecta tenentur. Autonomiam rationis agnoscere jubet; potestatemque ejus obtemperandi præceptis nullis circumscriptam limitibus.

Cum

Cum ergo summa vi in animo nostro intonat præceptum, ut meliores fiamus, poterimusne impotentiam eidem obtemperandi obtendere nos, homines liberi? Poteritne incassum & frustra aliquid ratio imperare? Qui vero nobis incumbere emendationis officium poterit, si primaria ejus conditio, a nobis fieri eandem posse, tollatur? Esto, quod non disputamus, ad emendationem effectione & cooperatione opus esse supranaturali: sed si hæc vel in minuendis impedimentis consistat, vel etiam adjumento positivo sit; necesse tamen est, ut homo adjumentum hocce accipiat, h. e. eodem ad emendationem suam sponte utatur, quo solo fieri potest, ut bonum ei imputetur. Negari itaque non potest, quin concedendum potius est, homini (quem non radicitus corruptum, sed vi deceptionis in malum prolapsum, emendationisque capacem, fittit Scriptura Sacra), quantumvis a bono ad malum aberraverit, stamen boni tamen esse relictum, prorsus purum, quod nec deleri nec corrumpi potest. Ipsum vero hoc stamen in philautia versari nequit, quæ, si pro principio arbitrii absoluto constituatur, fons pugnae cum moralitate inexhaustus, omnis mali est ipsa scaturigo; tumque etiam, cum Ratio, famulae vices agens, media finibus ejus aptissima ministrat. A philautia si proficiscatur homo, fines modo ejus ope rationis attingere satagens, prudentia quidem ipsi crescet & calliditas, moralitas vero numquam
oriri

oriri poterit; quippe cujus longe alius est fons, Ratio scilicet, quatenus sola forma Legislationis universalis elaterem arbitrio præbet. Sibi placeat forsitan, qui necessitatibus solipsismi postulationibusque satisfecerit, felicitatis maximæ diutissimæque potitus; erga semet ipsum observantia vero illi deerit, donec sibi non conscius sit, philautiæ suæ petitiones omnes absoluto Rationis imperio semet subjecisse.

Boni ergo stamen in homine post admiscam malitiam remanens, quo perdita restituatur innocentia, nihil aliud esse potest, nisi quod homo, licet propensione ad malum sua culpa laboret, incolumes tamen conservaverit rationem legislatricem facultatemque, elaterem, legi ejus debitum, adoptandi. Nam si corrupta esset ipsa ratio, vel deperditus, cui originem dedit, elater; frustra eadem recuperare coneremur, tumque nullus emendationi pateret locus.

Non itaque audiendi sunt, qui adeo prorsus vitiatam rationem hominis practicam, ut omnis ipsi perierit stimulorum moralium sensus, impossibilem ergo homini esse omnem suis viribus emendationem, clamitent. Nova quidem tum opus esse videtur creatione, quæ amissa restitueret. Facile autem patet, ea, quæ per creationem homini contigerint, ad moralitatem non pertinere, neque ergo ad emendationem. Nam quodcumque homo sensu morali sit,
vel

vel esse debeat, id se ipse reddat vel reddiderit, necesse est. Bonusne fuerit an malus, oportet utrumque effectum esse liberi arbitrii, nam alioquin neutrum possit imputari; neque ergo bonus neque malus esset homo.

In quonam ergo consistit emendatio? Non quidem in restituenda ratione, neque in comparando elatere ad bonum amisso. Hic enim, qui in observantia cernitur erga Legem, quæ vel pessimo tremorem incutit, neque amitti umquam ab homine poterit, neque, si amissus fuerit, recuperari. Neque homo vel sceleratissimus quasi per rebellionem Legi morali obsequium recusare valet. Hæc illi se potius maxime obtrudit; & nisi alius elater esset, qui contra agat, eam ut rationem determinandi arbitrii idoneam in normam suam supremam adoptaret, moraliterque bonus foret. Est ergo emendatio: ipsius illius, quod summum normarum omnium principium esse debet: adversus Legem reverentiæ, ad illam puritatem instauratio, ut non modo cum aliis elateribus conjuncta, vel etiam his subjecta, verum per se idoneus ad arbitrium determinandum elater reperiatur. Omne scilicet malum morale inde oritur, quod homo, vel, si bona sit norma & pura, ad eandem exsequendam nimis sit infirmus (ignavus l. segnis), vel, quod ab ipso confundantur elateres morales & non morales, adeo ut non lex sola pro elatere idoneo valeat, sed actiones officio consentaneæ propter alios,
præter

præter eam, elateres fiant: vel quod pervertatur proprius elaterum ordo, ita ut elateres ex lege morali aliis postponantur, primatusque non-moralibus concedatur. Cum hisce elateribus, per normas contra legem moralem inversis, possunt actiones cum Lege pariter congruæ consistere, ac si e genuinis ortæ principii forent; characterque ergo empiricus bonus esse, etiamsi malus sit intelligibilis. Inestque animo humano certus quidam dolus malus, putrida ille quidem quam maxime generis nostri macula, quo fit, ut sibi ipsi faciat fucum, absentiam vitii pro virtute accipiens, atque dummodo malis, quæ actiones, in quibus lex non considerata fuerit, vel saltem maximam vim haud habuerit, consequi possunt, elaboratur, de consiliis haud doleat suis, sed coram lege iustum se potius reputet; quin laudem meritumque de eo sibi arroget, quod non ejusmodi peccatorum reatum sentiat, quibus alios videat oneratos: nihil reputans, impotentia sua, vel temperamento, vel alio quodam fortunæ dono, a vitio perpetrando semet suis se retentum.

Emendatio itaque in eo cernitur: primo, ut elateri genuina puritas concilietur, Legique normarum omnium nostrarum supremæ regulæ dignitas & vis concedatur: quo bona gignitur mens & sentiendi ratio; deinde, ut necessaria fortitudo comparetur & conservetur, quo potestatem suam in vita exserat sentiendi ratio ejusmodi lustrata, propensiones omnes
B præ-

præcepto Rationis summo subjiendo, atque ita compescendo & domando, ut numquam illis fiat satis, nisi cum legislatione Rationis universali possint conciliari.

Probe observanda sunt duo hæc emendationis momenta. Quod homo, simul ac quidpiam pro officio agnoverit, nullo alio opus habeat elatere, quam hac ipsa officii repræsentatione, id quidem non potest instauratione successiva, sed per subitam modificationem commutationem, effici. Homo, ratione normæ, qua malus erat, per unum propositum constans conversa, ad bonum originarium, quod in sanctitate normarum cernitur, momento transit. Considerari potest hic transitus a sentiendi ratione corrupta in bonam, ut moralis quædam hominis ἀναγεννησις, & nova quasi creatio, qua character gignitur pure moralis, per Rationem solam repræsentandus. Inter ejusmodi characterem eique oppositum, non-moralem, nullum est medium, sed repræsentatio officii, tamquam Legis universalis & unitatis absolutæ, vel pro summo valet normarum principio: estque character bonus; vel non: estque malus. Nullis enim gradibus successivis a se invicem distinguuntur bonum morale malumque, neque aliquo modo finitima cogitari possunt; sed velut cælum & inferi sibi invicem opposita sunt regnum lucis & regnum tenebrarum, ac per immensam se juncta voraginem. Qui non pro me est, inquit itaque Sanctissimus, est contra me. Neque

que mutationi animi, qua vetus deponitur novusque induitur homo, i. e. peccato ultimum quasi vale dicit, ut justitiæ vivat, mortalis, duo per temporis intervallum separati actus morales insunt, sed una tantum est determinatio intellectualis. Fieri namque non potest, ut malum relinquatur, nisi per mentem bonam, qua aditus in bonum aperitur; & vice versa. Et hoc quidem uniuscujusque testatur experientia. Ut enim officium agnoscas, ut sensu observantiæ erga illud capiaris, illudque regulam actionum summam atque elaterem adoptes unicum: hoc quidem non labor est, qui, quo succedat, longam poscat annorum seriem; sed sufficit velle. Propositum atque actio intelligibilis heic coalescunt.

Ejusmodi jam mentis commutatio, qua sanctitas normarum oritur, conditio est, non modo prorsus necessaria, verum etiam sufficiens, quo boni capax fiat homo. Est vero inter normam & actionem permagnum intervallum, & qui sanctitate normarum potitus fuerit, homo, nondum idcirco ipse sanctus est; licet in via versetur ad prototypon, quod proponit Ratio, boni moralis, infinito progressu appropinquandi. Præcepto autem: estote perfecti (sancti in vita vestra), quemadmodum Pater vester in cælis perfectus est, quis nostrum mortalium audeat refragari? Namque non in theoria & mortua quasi contemplatione, sed in actione viva positum esse scopum

humanum, quisque nostrum agnoscere cogitur. At vero a malo, unde proficiscimur miseri, ad bonum a nobis efficiendum, quanta distantia, infinita, & quo poterimus umquam modo sperare, ut, quod actionem, vitam, attinet, posimus umquam sanctitatem legislatoris attingere! Nam ubicumque ad statum nostrum moralem animum adverterimus, invenimus haud integram esse rem, sed primum, quod efficere possumus, verum bonum esse, ut a malo, quod in perversa norma, ideoque in ipsa libertate nostra situm est, nosmet avocemus. Magnam vero hoc opus poſcit animi fortitudinem roburque. Namque primum, quod naturæ, ad res, sensibus obnoxias, adstrictæ, absolute expetimus, est, ut propensionibus nostris extensive, intensive, protensive fiat satis, vel ut felicitate potiamur. Quod vero idem nobis, ut ratione & libertate præditis, minime primum est, neque res normis nostris absolute proposita; sed potius dignitas felicitatis potiundæ, quæ nobis contingere non potest, nisi convenientia omnium normarum nostrarum cum lege morali. Hinc fit, ut ipse exitus e mentē corrupta in bonam, & crucifixio carnis prima per se jam jactura videatur, institutioque seriei longæ malorum, ad quæ excipienda ἀρετή sane ac virtute, quam aptissimo nomine designarunt Veteres Philosophi, opus est. At vero in via bona angustaque eadem calcanda, quot homini occurrunt impedimenta! Quot propensionum, principiorum in genere adver-

fatri-

faticium, illecebræ! Quo itaque homo a propensione ad vitium, mutatione vitæ successiva & normarum confirmatione, ad contrariam propensionem perveniat, continuo opus est nisi viriumque contentione. Sine firmo quam maxime proposito haud fieri potest, ut superentur difficultates, quibus bona norma, exsequenda semper, obruatur, neque sine conatu semper continuato ad melius, ut succedat successiva instauratio mentis perversæ, quæ propensionibus, cum ad transgressiones alliciunt, resistere ægre vult. Hoc sensu virtus paullatim comparatur, & a consuetudine fere quadam pendere dici poterit. Quo scilicet sæpius in sensualitatem imperium exercuerit, eo majorem vim roburque normis suis accessisse, intelligit homo. Neque est quoddam, præter hoc ipsum imperium, ex quo de statu morali suo judicare possit homo. Qui itaque ab eo inde tempore, quo principia boni adoptaverit, per ætatem sat longam vim eorum in factis, h. e. in vita, ad meliora progrediente, perceperit, is solus anſam capere potest, ad emendationem animi sui veram conjectura concludendi, lætusque sperare, semet, cum ejusmodi progresſibus, si bona sint principia, vis ad ſequentes augeatur, in hac quoque peregrinatione terrestri viam, qua pergere cœperit, haud fore relicturum, sed alacrius in ea progresſurum: quam spem non poterit is concipere, qui in proposito boni, sæpius instituto, numquam semet constantem animadverterit, sed multiplicem potius in

ma-

malum prolapsionem: quoniam ejusmodi iudiciis corruptio, radicitus animo infixæ, spectandam se obtrudit.

Potest vero character virtutis empiricus exseri, undecumque elater, quo opus eam in rem arbitrio est, depromatur, honestasque externa, legalitas, quæ in observanda lege cernitur, sine mutatione animi perversi, sed modo mutatione morum, existere. Sic v. g. sui tantum turpiter studiosus, atque sibimet omnia rapere paratus, ex celebrato illo principio felicitatis, probitati civili adhærescere poterit: quod videlicet tranquillitatem quæstumve ei adsciscat hæc prudentia; quæ vero si sustuleris, factionibus inhabitat, ad mala quæcumque promptus; quippe quum non ex ratione omnium normarum suprema, nimirum propter officium, agat. Ex ipsis illis vero, quæ breviter attulimus, apparet, speramus, non posse aliquem, qui solum legaliter, neque etiam moraliter bonus sit (h. e. qui virtuti ex character intelligibili deditus, nullo ad officium colendum opus habeat elatere, præter repræsentationem officii), hominem pro emendato haberi. Simul quoque extra dubium est, quod quantumvis soleant plerumque homines contra singula tantum vitia certare, communem omnium radicem intactam relinquentes; non ab emendandis moribus, sed a mente convertenda characteraque constituendo institui tamen debere formationem hominis moralem. Omne enim pretium morale non quidem

a

a phænomeno, actione externa, judicandum est, sed a norma interna. Cum lege quidem ex asse congruere potest actionum series, at simul tamen omni carere pretio morali; si nempe pro elatere, præter ipsam legem, fuerit aliud quid, quocumque demum venerit nomine, instinctus v. c. quidam, vel in maximo honore plerumque habitus, ut σοφῶν parentum, vel misericordia. Absolute etenim poscit Lex, ut ipsa sola semper & ubique pro regula subjectiva valeat elatereque; quod ni fiat, bona numquam esse poterit actio, ut demum cumque splendida fuerit ejusdem species externa. Omne, quod a fide non profiscatur, peccatum est. Dum itaque corrupta fuerit omnium origo bonorum malorumque, mens ipsa & sentiendi ratio, non succedit contra singula vitia belligeratio. Nam bonos fructus qui ferre mala arbor poterit?

Perfectum a nobis poscit Lex: a principio sancto proficisci hominem jubet, in normam supremam recepto, atque in omni actione conspicuo: nos vero, si nos peccati expertes esse dicimus, fallimus nos ipsos, nec est in nobis veritas; quippe quum facta nostra — pro quibus quidem quo poterit modo animus valere? — non in genere tantum & in universum, verum enimvero in quovis temporis articulo manca sint & imperfecta. Numne ergo frustraneus *μετανοεῖας*, quæ ideæ respondeat, sit conatus,

tus, vanaque, per eundem summo Numini acceptum fieri mortalem, spes dulcissima? Absit, ut hoc cogitemus, animum dejiciens! Nobis quidem, per conceptus relationis inter causam & effectum ad conditiones temporis adstrictis, bonum in phænomeno, i. e. secundum factum, semper mancum manet & imperfectum, neque ut legi sanctæ respondens spectandum umquam: non est nobis nisi in infinitum progressus ad convenientiam cum hac lege potestas data. Ipsi vero Illi, qui rationem omnium arbitrii normarum in summa intuitione sua intellectuali, pura, scrutatur, Deo, ipsum multiplex progressus hujus in infinitum unitas & totum quiddam absolutum est, atque propter animum, unde derivatur (qui supra-sensibilis est), bonum, etiam quoad factum, vitam. Quocumque ergo temporis articulo positus sit existentiae nostræ limes, certi tamen sumus, licet manci, quod sint nunc & olim

Μακαριοι οι καθαροι τη καρδια· οτι αυτοι τον Θεον οψονται.

